Universitätsbibliothek Paderborn

# Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus

Engel, Ludwig

Salisburgi

Sect. 2. De Institutione, Collatione, Concursu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40922

Visual Library

perſonas Eccleſiaſticas dominando &c. *cap. in quibusdam* 12. *de pœnis. cap. generali. de elect. in* 6. junct. Conſtit. Frider. *in tit. de pace tenend. & ejus viol.* §. *publici. latrones. verſ. quicunque advocatiam. Gail. lib.* 2. *obſ.* 54. *n.* 6. De iſto jure advocatiæ videri poterit inſignis tractatus, quem edidit Martinus Magerus, ubi rem totam latiſſimè exponit. *& cap.* 14. *& cap.* 16. *prolixius* tractat qualiter ob non præſtitam defenſionem jus advocatiæ, & exigendi cenſum amittatur.

## SECTIO II.

### De Inſtitutione, Collatione & Concurſu.

#### SUMMARIA.

1. *Quis poſſit inſtituere Clericum in beneficio, & quid ſit inſtitutio.*
2. *Inveſtitura alia eſt verbalis, alia realis.*
3. *Quam juriſdictionem habet S. Pontifex in collatione parochiarum, & quæ beneficia ſpecialiter eidem reſerventur.*
4. *Sede Apoſtolica vacante omnes Parochiæ per ordinarios conferri poſſunt.*
5. *Beneficia ad jus patronatus laicorum ſpectantia non reſervantur.*
6. *In Germania menſes Papales ex conſuetudine non attenduntur.*
7. *Quam poteſtatem Legati de Latere & Cardinales habeant in collatione beneficiorum.*

8. *Qui-*

8. *Quibus de jure, vel privilegio competat beneficia conferre.*

9. *Intra quod tempus beneficia conferenda & ad quem ſuperiorem devolutio fiat, ſi tempus non obſervetur.*

10. *Parochiæ poſt Trident. per concurſum conferendæ, & quid circa examen obſervandum ſit.*

11. *Quotnam admittendi ad concurſum, ſi jus patronatus pertineat ad laicum, vel Eccleſiaſticũ.*

13. *Si Parochia ſine concurſu confertur, collatio eſt nulla, & ad ſedem Apoſtolicam devolvitur.*

QUando Patronus Epiſcopo Clericum præſentavit, ad ipſum pertinet cognoſcere & judicare de illius aptitudine, & ſi idoneum repererit in parochia vel beneficio inſtituere. 1

Eſt autem inſtitutio alia, per quam titulus beneficij alicui confertur, quod fit, quando litteræ confirmationis ſuper facta præſentatione patroni de mandato Epiſcopi aut Conſiſtorij ejus expediuntur: & alia, per quam ipſius beneficij actualis poſſeſſio datur, quæ magis propriè inveſtitura vel miſſio in corporalem & actualem poſſeſſionem dici poteſt. Neque enim inſtitutus beneficium ejusve poſſeſſionem propriâ authoritate ſine licentia vel introductione ſuperioris apprehendere debet, aliàs pœnâ ſaltem arbitrariâ ab Epiſcopo puniendus. *Covar. var. reſo. lib.*3. *cap.* 16. *n.* 7. & 8. imò ſi in tali poſſeſſionis apprehenſione violentiâ uteretur priorem poſſeſſorem expellendo &c. etiam omne jus ex collatione quæſitum ipſo facto deperderet

deret. *tex. & DD. in cap. eum qui.* 18. *de præb. in 6.* quòd ſi præſentatus tantùm & necdum confirmatus vel inſtitutus (qui jus tantùm ad rem, non in re habet) propriâ authoritate beneficium occupet, fructus colligat &c. etiam nemine contradicente, amittit jus ex præſentatione acquiſitum. *cap. avaritiæ, de elect. in* 6. *Garc. de benef. p.* 11. *c.* 10. *n.* 117.

2 Eſt verò inveſtitura in beneficijs ſicut in feudis alia verbalis, quæ fit per traditionem alicujus ſigni v. g. pyreti, clavium &c. unàcum verbis inveſtituram exprimentibus. & alia realis, ſcilicet ipſa actualis in poſſeſſionem introductio ſive inſtallatio de jure ad archidiaconum pertinens *c. ad hæc de offic. Archidiac.* prior enim verbalis inveſtitura ex plurium ſententia non ipſam actualem poſſeſſionem, ſed obligationem ſolùm ad traditionem actualis poſſeſſionis, vel ad ſummum licentiam propria authoritate poſſeſſionem vacuam occupandi inducit. *Clarus. §. feudum. q.* 36.

## De Collatione.

2 CIrca Collationem Eccleſiarum parochialium imprimis ſciendum eſt, quòd ea competat S. Pontifici, qui habet concurrentem juriſdictionem cum quolibet Ordinario *c.* 2. *& cap. dudum de præb. in* 6. imò *de jure Regularum Cancellariæ & Extravag. ad regimen. de præbend.* beneficia quædam ſpecialiter & ſoli Pontifici reſervantur, ut vacantia per promotionem ad al-

terum

terum cujus collatio ad Papam ſpectat, item & Cardinalium, Curialium & familiarium Papæ; nec non & accedentium ad curiam vel recedentium ab ea, ſi in curia vel intra duas diætas moriantur: ea quoque, quæ vacant per depoſitionem, privationem, aut translationem authoritate Pontificis factam: Denique ex Concord. German. quæ in Bullario inter Bullas Nic. V. noviſſimo loco ponuntur, beneficia curata & non curata alternis menſibus vacantia, unde dicuntur menſes Papales Januarius, Martius, Majus, Julius, September, November.

Verùm in parochialibus Eccleſijs hoc eſt ſpe- 4
ciale, quòd ſi quomodocunque reſervatæ vacaverint ſede Apoſt. vacante, per Ordinarios conferri poſſint, ne ipſarum diuturnior vacatio periculum animabus adferat, idem quoque, ſi quidem parochiæ vivente adhuc Pontifice vacaverint, ſed is ante mortem ſuam nihil de ijs diſpoſuerit. *cap. ſi Apoſtolica. 35. de præbend. in 6.*

Deinde reſervationes quæcunque locum non 5
habent in beneficijs ſpectantibus ad jus patronatus Laicorum, dummodo Laici habeant ex fundatione, conſtructione aut dotatione, quia S. Pontif. nunquam intendit juri patronatus Laicorum derogare, ne à fundationibus abſterreantur. *Cova. pp. qq. c. 36. Garc. de benefic. p. 5. cap. 1. n. 571. Barb. de offic. Epiſc. alleg. 57. n. 26.* ſi intra tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficij S. Pontifex non contulerit, redit collatio ad Ordinarium, ut in Concord. habe-

tur, quibus addenda eſt Bulla Greg. XIII. *quæ in Eccleſiam &c.*

Promittit etiam S. Pontif. in Concordat. German. quòd in menſibus Ordinariorum & beneficijs non reſervatis, nolit eorundem collationem impedire. Unde in Germania non procedit tex. *in cap. dudum* 14. §. *nos igitur. de præb. in* 6. & ſubreptitia judicaretur proviſio Papalis in menſe Ordinarij ſine clauſula derogatoria.

6 Conſuetudine quoque in quibusdam Germaniæ & remotioribus locis receptum videtur, quòd menſes Papales præſertim in beneficiis parochialibus non attendantur, quæ conſuetudo ob animarum periculum imminens tum ex longiori vacatione, tum ſi alienigenæ & ignoti paſtores de parochijs provideantur, ſatis rationabilis redditur. Conſuetudinem autem vel præſcriptionem rationabilem adverſus leges pontificias & jura Eccleſiæ Romanæ procedere conſtat. *c. fin. de conſuetud. & c. ad audientiam. de præſcript.*

7 Præter S. Pontificem etiam legati ejus, qui *de Latere* & Cardinales ſunt (non item Nuntij Apoſtolici niſi ex ſpeciali privilegio) poteſtatem conferendi beneficia ſuæ provinciæ habent, & cum Ordinarijs concurrunt. *cap. dilectus. de offic. Legati c.* 3. *&* 4. *eod. in* 6. *Clem. ſi de beneficio. de præb.*

Attamen in Germania propter dicta Concordata non poterit Legatus collationem Ordinariorum impedire, & ita uti majore poteſtate, quàm

quàm ipſe S. Pontifex, ſiquidem receptum eſt apud DD. *quod S. Pontifex facere non ſolet, id Legatus facere non poteſt.* aliàs enim plenitudo poteſtatis etiam Legato competeret, quòd nemo admiſerit. Neque ſine ſpeciali privilegio facere aliquid poteſt Legatus, quod tendat in violationem juris communis. *Barb. Jur. Eccleſ. univ. lib. 1. cap. 5. n.* 80. ad ſummum igitur Legatis in Germania jus remanet conferendi beneficia ad ſedem Apoſtolicam devoluta ex negligentia inferiorum collatorum, non item beneficia reſervata, niſi ex ſpeciali privilegio. *Gloſſ in cap. 1. in v. ampliori. de offic. Leg. in 6. Barb. Jur. Eccleſ. univ. lib. 1. cap. 5. n.* 42.

Inter ordinarios Collatores, S. Pontifice, ejúsque Legato inferiores primus eſt Epiſcopus, qui quoad omnia beneficia ſuæ Diæceſis fundatam intentionem in jure habet. *cap. cum & plantare. §. in Eccleſiis. de privileg. cap. cùm ex injuncto. & ibi Pan. n. 2. de heret.* 8

Epiſcopis ſimiles ſunt alij Prælati exempti ſpeciale territorium & jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habentes. *Gl. in cap. 1. de Capell. Mon. Pan. in c. in Lateranenſi. de præb. n.* 4.

Sed & inferioribus Prælatis & Abbatibus jus conferendi parochias & beneficia ex ſpeciali privilegio aut præſcriptione competere poteſt. Capitulo tamen ſede vacante, neque vicario generali ſine ſpeciali mandato beneficia ad collationem Epiſcopi ſpectantia conferre conceditur, eſt enim collatio ſpecies donationis, quam regu-

lari-

lariter rei alienæ adminiſtrator facere non poteſt. *c fin. de offic. vic. in 6. Gl. in c. his quæ de major. & obed.* præſentatos tamen à patronis capitulum & vicarius inſtituere non prohibetur: cùm enim ex præſentatione jus acquiratur præſentato ad petendam inſtitutionem, non poteſt inſtitutio ſpecies donationis cenſeri, utpote quæ nullum jus petendi in accipiente ſupponit: ſed potiùs actus juſtitiæ. *cap. 1. de inſtit. in 6. c. ex frequentibus.* 10. *eod. Barb. de offic. Epiſ. alleg.* 54. *n.* 70.

9 Porrò Eccleſiæ parochiales, ſicut & alia beneficia conferenda ſunt, intra ſex menſes computandos à die cognitæ vacationis *cap. 2. & c. quia diverſitatem de conceſſ. præb.* quo termino elapſo jus conferendi in Eccleſiis cathedralibus ab Epiſcopo devolvetur ad Capitulum, ab hoc ad Archiepiſcopum & demùm ad S. Pontificem. In Eccleſijs regularibus, non ad Conventum, ſed ad Epiſcopum devolutio fiet, qui in non exemptis, ſuâ, in exemptis verò Apoſtolicâ authoritate negligentiam ſupplebit, ita tamen, ut beneficia per regulares adminiſtrari ſolita Regularibus conferat. *Clem. un. de. ſuppl. neglig. Præl.*

Si de facto poſt lapſum terminum beneficium collatum ſit, poteſt de æquitate tolerari, quamvis de rigore non ſubſiſtat, utpote collatore jam tunc poteſtate conferendi privato. *c. litteras* 10. *de ſuppl. negl Præl.*

In parochijs quoque & beneficijs Monaſterijs pleno jure ſeu ad menſam incorporatis non ob-

obſervatur hic terminus cùm nunquam vacare cenſeantur, ex quo principalis rector eſt Abbas. *d. Clem. un. Joan. Honor. in tit. de præb. n.* 60.

## De Concurſu.

HOdie Concilium Trid. *ſeſſ. 24. de ref. c.*18. 10
Novam formam conferendi parochias præſcripſit nimirùm per concurſum.

Vacante igitur Eccleſia parochiali idoneum vicarium cum aſſignatione congruæ portionis Epiſcopus in ea deputabit, donec ei de Rectore provideatur.

Interim ab Epiſcopo per Edictum publicum aut alio modo vocandi ſunt, quicunque ad parochiam vacantem adſpirant, præſtitutâ die comparentes examinentur ab Epiſcopo, vel ejus vicario generali, atque ab alijs examinatoribus non paucioribus, quàm tribus.

Examinatores autem ſingulis annis in diœceſana ſynodo ab Epiſcopo vel ejus vicario ad minus ſex proponantur, qui à ſynodo approbentur ex quibus Epiſcopus ad ſingula examina ſemper 3. eligere poterit. Síntque hi examinatores Doctores aut Licentiati in Theologia aut Jure Canon. vel alij Clerici ſeu Regulares etiam ex Ordine mendicantium, qui videbuntur magis idonei, juréntque omnes ad SS. Evangelia, ſe quacunque affectione poſtpoſita fideliter munus executuros: dantes & accipientes aliquid occaſione examinis ob ſimoniæ vitium graviter puniendi, & benficijs etiam ante habitus pri-

privandi, *ut in textu*. non tamen prohibetur Epiſcopus iſtis examinatoribus aliquod ſtipendium conſtituere, de ſuo tamen, non ex fructibus beneficij vacantis & multò minus ex contributione examinandorum. *Barb. in collect. ad d. cap. 18. Trid. n. 107. & ſeq.*

Peracto examine qui digni fuerint reperti; Epiſcopo denunciandi ſunt, ex quibus Epiſcopus illum eliget, quem cæteris magis dignum judicaverit. Neque Epiſcopum adſtringi ad vota Examinatorum ex Garcia *p. 9. c. 2. n. 59.* refert Barb. *de Parocho. p. 1. c. 2. n. 91. & 93.* ubi etiam *n.* 109. refert; quòd cæteris paribus inter concurrentes præferendus ſit ſenior præ juniore, originarius vel conterraneus præ extraneo, ille enim magis præſumitur diligere & curare ſuos patriotas, Doctor præ non Graduato, Sacerdos præ alio in inferioribus ordinibus conſtituto, &c. ſed hæc omnia arbitraria ſunt; & potiùs ad morum & rerum gerendarum aptitudinem reſpiciendum erit.

11 Si parochia pertineat ad jus patronatus *Laicorum*, ſolus præſentatus vel præſentati à Patrono, examinabuntur. Si verò fuerit de jure patronatus *Eccleſiaſtico*, etiam alij ad examen vocari poterunt, & inter dignos repertos unum Patronus Eccleſiaſticus Epiſcopo præſentabit; ſi ad Epiſcopum ſpectet inſtitutio; ſi ad inferiorem Prælatum, tunc priùs examinatus debet approbari ab Epiſcopo, & deinde primum inferiori Prælato præſentari, reſolvunt enim DD. apud

apud Barb. in Collect. *ad d. c.* 18. *Trid. n.* 45. *& ſeqq.* quòd inferiores Prælati, niſi habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & jus congregandi ſynodum ac proprium territorium non poſſint facere concurſum, ſed id ſpectet ad Epiſcopum.

Quòd ſi collatio Parochialis Eccleſiæ aliter 12
facta fuerit quàm per concurſum, eſt nulla, & ad ſedem, Apoſtolicam devoluta jux. Motum proprium Pij V. anno. 1566. 5. Kal. April. *Barb. in collect. d. l. n.* 158. in Germania hæc tam ſalubris conſtitutio necdum quidem ubique recepta eſt, optandum tamen foret magnopere, ut in ſingulis diæceſibus (quemadmodum ex mandato Celſiſſimi noſtri Princ. & Archiep. in hac Salisburgenſi factum) reciperetur. Inde enim fieret ut Clerici in litteris & moribus ad curam ſe ſe aptiores redderent.

Parochiæ verò Monaſterijs vel alijs Eccleſijs incorporatæ, in quibus non propriè parochus ſed tantùm vicarius ponendus eſt, per concurſum non conferuntur. Bulla Pij V. *ad exequendum.* Barb. *de Parocho. p.* 1. *c.* 2. *n.* 18. *uſque ad* 22.

In permutationibus etiam parochiarum concurſus non eſt neceſſarius *Barboſ. dict. lib. n.* 23. *Garc. de benef. p.* 9. *cap.* 2. *n.* 165.

CAPUT